

gligunt, & spernunt. *Herbæ autem, quæ apud nos reperiuntur unà cum floribus, minutissimis, tenuissimisq. festucis colligantur, à quibus quidquid lignosum est, abijciendum.* Hæc 4. de Sanit. tuen. c. 4. In umbra exsiccentur, ut elicitur ab eius dictis lib. 5. de comp. Med. per genera, c. 9. Etsi de omnibus herbis mentionem non faciat, dum de Siderite, & Perdicia sic: *Accipito herbas duas, quarum altera Sideritis, altera Perdicias appellatur, quæ domi sensim citra Solis admissione siccantur.* Quod didicit Albuc. dum statuit loco calido longè ab humiditate exsiccati; difficilè enim humiditas illarum absumitur, quæ semine abundant, & cum illo demetuntur; quarum multa enumeravit Dioscor. lib. 1. in procæmio, sic: *Herbæ, quæ ramis scatent, sicut Stæchas, Trissago, Polium, Abrotanum, Seriphum, Absinthium, Hyssopus, & alia id genus, semine prægnantia demetantur.* Tempus, quo integra seruantur, & valida, præfigit dicens: *Scire etiam conuenit, sola ex herbaceis medicamentis Veratri genera, nigrum, inquam, ac candidum, multis edurare annis, reliqua à trimatu inutilia.* Attamen multa post annum proprijs viribus priuantur, potissimum quæ apud nos oriuntur, nisi calore satis insigni præditæ existant. Oës mediocrem ferunt coctionem, nisi admodum dura, ac densa sint substantia.

De Floribus. Cap. V.

FLORES plantarum ornamenta, seminum, ac fructuum amica domicilia, hominumq. delicia, non solum visum eorum multiformi varietate

tate recreare possunt, & spiritus vitales iam ferè deperditos suauiter eorum odore refocillare, & ad intima cordis contractos reuocare; sed etiam mirabilem opem afferre multis malis, humanum corpus affligentibus, si conuenienti tempore seligantur, exsiccentur, & administrentur. Flores illi reputantur optimi, qui proprium odorem vigorosum seruant, propriumq. colorem: quæ duo nobis scripta reliquit Gal. 1. de Antid. cap. 12. dum de Rosis sic: *Rosæ illæ decerpantur, quæ alijs plus olent, & rubicundiores fuerint.* Flores enim qui magis odorati existunt, perfectè à calore concocti, si præstanda venit fides Theophr. lib. de caus. Plant. Tempus legendi illos est, antequam (teste Dioscor. cap. 8.) decidant; vel, vt placet Gal. 4. de Sanitate tuenda, cum adhuc conuiuent. At Auic. illos probat post vltimam refectionem: at ab his grati, atque suaues euanescent odores; cum magis maturi existant. In vmbra exsiccentur, vt elicitur à Dioscor. dictis, dum dat exemplum de Oenanthæ, id est, Vite siluestri, sic: *Fructus, dum florent, substrato linteo, in vmbra siccentur, qui interim continuò versandi sunt, ne muceant, ne ve situs in his infideat.* Hæc capite de Rosis, quas exsiccare iubet sub vmbra. Albuc. verò, & Rosas, ac Violas, & ceteros flores, Sole exsicandos imperat: etiamsi non neget, meliorem esse eorum exsiccationem in vmbra, sed magni laboris, & periculi, ne ob humiditatem propriam eorum odor, & color destruat, quod Sepalsarijs imperitis sæpe accidit. Reponantur hi, & omnia, quæ iucundum odorem exhalant,

Error multorum.

arculis tiliacis, nullo situ obductis, vt Dioscor. vel capsis ex ligno, velut Albuc. Leuissimā ferunt decoctionem; facili enim euanescit eorū facultas: immo Gal. ipsos non decoquebat, sed macerabat, vt 4. de Sanit. tuen. c. 8. quo loco reprehendit aliquos dicens: *Etiam si nonnulli macerari tum flores, tum semina non ferentes, decoquunt illos. Qui his in locis nascuntur, vt plurimum anno elapso ferē facultates amittūt suas; sed facili hoc cognoscitur, ex deperdito pro maiori parte & odore, & colore.*

De Seminibus. Cap. VI.



SEMINA naturæ præcipuum opus, quibus perpetuò plantæ in esse seruantur, alimentum non tantum, & iucunditatem hominibus præbent; sed etiā multis eorum morbis occurrunt: & ideo solers, ac prouida Natura illis fabrefecit inuolucra varia, vt ab incursionibus externis vindicarentur, veluti carnem, cortices, ossa, & siliquas, in quibus, quamquam sint reposita; attamen gemina tunicula ea illic inuoluit, quæ omnia narrauit, & obseruauit Arist. lib. 1. de Plant. cap. 2. *Legantur, ubi siccari ceperint, antequam defluant, imperante Diosc. in Proë. Meliora existunt, quæ tumida conspiciuntur, vt lib. de bono, ac vitio fo. suc. vult Gal. c. 2. vel, vt placet Diosc. dum de Xylbalsamo agens dicit: Sit semen plenum, grande, & ponderosum, quæ omnia seruanda esse ego censeo in omni genere leminum; denotant enim hæc materiam fuisse*